DEO OPTIMO MAXIMO
UNI ET TRINO,
VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ,
Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis ſexto menſis Decembris, anno Domini M. DCC. LXX.

M. CLAUDIO LAFISSE, Doctore Medico, Præſide.

An ex vario variarum arteriarum motu, variæ dignoſci poſſint hominum Διαθέσεις.

I.



ETERUM inventa perquirat Medicus, tùm ad grandiora properet, in nova detegenda incumbat aſſiduus; mox tandem erroris & ignorantiæ franget repagula, mox pœoniâ caput redimitum lauro extollet, & arte medendi potentem invicem & pauper & dives & infimi & magnates æmuli celebrabunt. Hanc (*a*) Medicinæ perficiendæ viam calcavit jam pridem Medicinæ Pater Hippocrates. Noverat ille quàm variè in ſtruendo & animando corpore luſerit Omnipotens; noverat quàm arduum ſit multiplicem ipſius ſapientiam mente totam ſimul comprehendere: hinc methodum conſtituit ſanè tutiſſimam. Sed utroque hoc vitio laborat humanum ingenium & ut ſequi amet antecedentium gregem, dulciſque otii captum illecebris, horum effatis aſſentiri, inventiſque conquieſcere malit, quàm vigiliis multis improboque labore nova perſcrutari; & ut, ſi quis nova detexerit, ab eo ſibi leges imponi permittat, admiratione ſtupeat, aut præ gaudio manu jam quaſi deprehenſas anteà cognitiones elabi ſinat, oblivionis pulvere conſpergendas. Antè Harveium,

(*a*) ἰητρικῆς ἀρχὴ ϗ ὁδὸς εὑρημένη. . . ϗ τὰ λοιπὰ εὑρεθήσεται, ἤν τις ἱκανός τε ὢν, ϗ τὰ εὑρημένα εἰδὼς, ἐκ τουτέων ὁρμώμενος ζητῇ. *De vet. med. III. ed. vind. lind.*

totum orbem medicum occupabant Scholæ Galenicæ & Arabicæ. Harveius exurgit, & ſanguinis circulationem, abditum pleriſque antea myſterium è tenebris eruit, ejus divitias explicat. Hoc veluti ſigno dato cuncti ſubitò excitati ſunt; plurimarum rerum ſcientiâ graves, omnem hunc doctrinæ apparatum exuêre, ad inſolitum converſi ſunt ſpectaculum, ac læti conſpexere totam arteriarum aciem, Phalangem veluti Macedonicam, æquo ſimul paſſu, impellente corde, progredientem. Hùc revocatæ omnes œconomiæ animalis leges. Nec ideò tamen falsa omnia dixêre veteres, nec omnia omnino detexit Harveius. Hunc latuerat aliud eſſe arteriarum extremum veluti agmen nunc tardiori movens ſe greſſu, nunc etiam celeriori. Experientiâ tamen comprobatur ultimas arteriarum diviſiones in eo à majoribus arteriis differre, quòd aut rariùs aut frequentiùs plerumque micent; ita ut harum arteriolarum diaſtoles non ſemper ſynchrona ſit cùm diaſtole majorum arteriarum. Sit in exemplum arteriola quæ ex cubitali recto tramite procedens ſuper carpum deſinit. Hanc diutiùs ac ſedulò interroga in eo quod intereſt ſpatio inter os lunare, os cuneiforme & os aduncum. Hæc, dùm arteria radialis ſeptuagenis circiter vicibus uno minuto digitum quatit, quinquagenis tantùm, ut plurimùm, aut ſexagenis, interdùm etiam octogenis, nonagenis, plùs, minùs exilit; gracilem nunc formam, nunc craſſam induens; nunc altè eminens, nunc intùs ſe proripiens; nunc ab incœpto greſſu non deſinens, nunc ſubitò ſtans & immota manens per aliquod temporis intervallum, novo deindè impetu progreſſura.

I I.

AN vera ſit experientia facili ſibi quiſque probare poterit argumento, modò exquiſito polleant tactu digiti, &, quâ ſolâ natura deprehenditur, ſolertem, longanimem, attentam & quaſi ſuſpenſam mentem præbeat. An vera eſſe poſſit, id è foro ratiocinationis eſt, quæ primâ ſæpè fronte veritati non omninò conſentit, imò repugnare interdum videtur. Invictiùs ſanè non ſolùm perſuaderent, ſed & intimè convincerent repetitæ de eò pulſu, quales de critico, de viſcerum proprio tradidêre recentiores Medici illuſtriſſimi, obſervationes, prædicta eventui probè conſonantia. Sed *ars longa*, ætas nimiùm juvenilis. Suum eſt aphoriſticè pronuntiandi, ſuum eſt pertentando opinandi tempus. Undè igitur varii hujus variarum arteriarum motûs cauſa repetenda? Nùm à diverſis ſanguinis partibus hanc & illam arteriam ſubeuntibus? Enimverò ſi reſeratur arteria pulmonalis ſola poſt mortem ſanguine fœta, eo occurrent ordine aliæ alias cingentes contentorum liquidorum columnæ. Primo ambitu adeſt tenue quoddam gluten pelliculæ adinſtar, quod vivifico lambens attactu vaſorum parietes nutritionem ubique impertitur. Sub eo involvitur craſſior columna coloris

albicantis, fibrosa; in medio denique includitur columna purpurea. Si varii ii liquores varia subeant vasa, varius erit liquorum pro suâ densitate motus; sic tractantem digitum pulsatio diversimodè ludificabit; diversitatem illam pulsationis hinc oriri forsàn conjeceris, sed immeritò, pluribus de causis. Rem certiùs evincet perpensa totius sanguinis pro suâ densitate velocitas. Nam attendenti cuique patebit extremas arteriolas, eas præsertim quæ obtuso maximè angulo ex majoribus arteriis derivatæ rectum iter peragunt, quò citior & limpidior fluet sanguis, eò debere frequentioribus, quò tardior & spissior, eò rarioribus micare pulsationibus quàm majores arterias; motum sanguinis per extremas arteriolas ad cutis superficiem nunc accelerante vi projectivâ, nunc ob vasorum angustias retardante fluidorum spissitate.

I I I.

NUNC perpendendum venit quâ ratione ex varia illâ variarum arteriarum pulsatione, variæ dignosci hominum διαθεσες. Διαθεσις est propria quædam singulis, tùm animi, tùm corporis dispositio. Quo uno verbo & temperamentum & indoles comprehenditur. De temperamento facilè quidem tibi persuadeas; nam à solidorum vi, elaterio, impulsu pendet sanguinis velocitas, à fluidorum principiis, eorum densitas: indè desumuntur variæ temperamentorum differentiæ; eæ igitur sine ullo dubio ex variâ variarum arteriarum pulsatione dignosci possunt, cùm ex variâ illâ pulsatione dignosci possit sanguinis velocitas, & fluidorum densitas. De indole, subtilior est quæstio, nec minùs gravis, nec minùs utilis, cùm tanta sit ejus vis in œconomiam animalem, tantum inter eam & temperamentum commercium. Quænam verò sit ea vis, quodnam illud commercium, liceat de eâ re interrogare Medicorum principem, cui ut fidem securiùs habeas, paucis accipe primas hujus Physiologiæ ac totius Medicinæ lineas. Mirum quantùm Medicinæ profuerit suffultum experientiâ judicium. Eæ datæ sunt Medico pennæ quibus ad astra sublimis evectus est Hippocrates. Hic naturam observando, interrogando, stimulando incredibilem sibi pepererat interioris hominis notitiam: hic, vel tacente ægroto ea quorum ipse conscius erat æger, & infidus sæpissime interpres (a), detegebat, præterita in memoriam revocabat, futura vaticinabatur, adeò securùs,

(a) Ἃ πειρῶνται οἱ τὰ ἀφανέα νοσέοντες ἀπαγγέλλειν περὶ τῶν νοσημάτων τοῖσι θεραπεύουσιν, δοξάζοντες μᾶλλον ἢ εἰδότες ἀπαγγέλλουσιν... ὅτε οὖν οὐδὲ ἐκ τῶν ἀπαγγελλομένων ἐστὶ τὴν ἀιαμάρτητον σαφηνίην ἀκοῦσαι, προσσκεπτέον τι καὶ ἄλλο τῷ θεραπευοντι.... ἡ μὲν τέχνη αἰσθανομένη... *de arte XIX.*

ut (*b*) minimè incertis nixam conjecturis, sed certis & inconcussis stantem fundamentis pronunciaret Medicinæ artem, dum medicus is esset quem natura ministrum requirit, dum à veris artis principiis, quod quidem (*c*) haud omninò frequens est, non recesserit. Ardua sunt hæc, sunt hæc præstanti Philosopho simul ac Medico digna principia. Abeant cum suis opinionibus, conjecturis, erroribus, quicumque vana vanæ cujusdam Physiologiæ fundamenta posuêre, incertasque ac falsas, ingeniosâ potius ratiocinatione quàm sedulâ observatione freti, naturæ causas assignavêre. Non sic Hippocrates: ab ipso disce. Vides omnia in orbe universo *huc illuc discurrentia, alia seorsum, alia deorsum, partes ad partes accedere, à se invicem discedere, sic perpetuâ vice alia corrumpi, alia generari:* crederes hæc omnia aut cœco impelli fato (sed quid fatum nisi (*d*) *vanum ac sine sensu nomen*, obcœcatæ & ignaræ mentis refugium?) aut ingenitâ pollere industriâ, sapientiâ, sagacitate; idem diceret de fictis circumforeanorum personis rusticus spectator. At minime quidem hæc: corporum animalium, brutorum scilicet, vita & is ipse, ut aiunt, instinctus, seu spo taneus, seu ab objectis externis ope sensuum excitatus, nec materiæ fato abreptæ, nec proprio singulis insito animo debetur, sed est veluti intelligentiæ vivificantis, ferè dicam, mortua ac per se passiva expressio, quâres vitæ ac sanitati necessarias, quamvis ipsa non appetant, tamen multis videntur reipsâ appetere; noxias detestari. Deus, Deus ipse suum singulis finem imposuit, singula ad suos fines suavi quâdam violentiâ impellit. *Scire quidem* (*e*) *videntur*, inquit Hippocrates, *quæ faciunt, at nesciunt; quæ vident non cognoscunt;* Naturâ, cæco, ut inter omnes convenit, feruntur impetu; quæ volunt, quæ nolunt, reipsâ nec volunt nec nolunt; nullâ etenim gaudent libertate, *omnia ipsis fiunt per divinam illam necessitatem, quâ corpora suum finem attingunt & ad majus & ad minus.* Nec aliter fere evenit in corpore humano, licet huic adjuncta sit mens rationalis, cujus imperantis occasione, minime vero actione directâ, plurimi excitantur motus. Ea autem divina vis ita obvelatur, ut specie illusi, assiduitate quotidianâ decepti, causis aliis arte inextricabili inter se implexis,

---

(*b*) ὐκ ἠξίων ἔγωγε κενῆς αὐτέην (ἰητρικὴν τέχνην) ὑποθέσιος δεῖσθαι, ὥσπερ τα ἀφανέα τὲ καὶ ἀπορεόμενα, περι ὧν ἀνάγκη, ἤν τις ἐπχειρέιη λέγειν, ὑποθέσει χρῆσθαι. *de vet. med. II.* . . εἰσὶ δὲ δημιυργοὶ, οἱ μὲν φλαῦροι, οἱ δὲ πολὺ διαφέροντες. *ibid.*

(*c*) ἰητροι φήμῃ μὲν „ πολλόι: ἔργῳ δὲ, πάγχυ βαιόι. *lex.*

(*d*) τὸ αὐτόματον ὐδὲν φαινεται ἐὸν ἐλεγχόμενον. Πᾶν γὰρ τὸ γινόμενον, δια τι ἂν ευρίσκοιτ ἂν γινόμενον, καὶ ἐν τῳ δια τι, τὸ δὲ αὐτόματον ὐ φαίνεται ὐσίην ἔχον ὐδεμίην. … ἀλλ' ἢ ὔνομα μῦνον. *de arte IX.*

(*e*) ἃ μὲν πρήσσυσιν, ὐκ οἴδασιν, ἃ δὲ

& aliis in alias, circuli modo principio fineque carentis, gyrantibus, tribuamus interdum, quæ huic soli causæ, forent assignanda. Hac stante Hippocratis sententiâ, fugiunt inani labore efficta systematum phantasmata, redit seculum observationis aureum. Ecquis enimverò (*f*) Divinitatis notitiam altiùs animo infixum habet, quàm naturæ minister Medicus. Habet in Naturâ legem Dei, id est Deum materiæ potenter imperantem & continuò invigilantem. Habet in lege Dei sapientiam, ordinem, constantiam denique, à quâ nunquam recedere videtur, nisi ut clariora præbeat potentiæ suæ argumenta. Hanc certam & æquabilem naturæ constantiam naturæ famulatrix sequitur Medicina. Signa de se prodit natura, signa scrutatur, perspicit, arripit Medicina. Inter hæc eminet pulsus; pulsum observat, futura in morbis vaticinatur; cur non intimam etiam sui cuique temperamenti vim ac speciem revelabit? Id vivæ, ut ita dicam, Physiologiæ proprium munus est, id olim præstitit Hippocrates. Ea erat hujus ab observatis deducta theoria.

IV.

UNIVERSAM hominum naturam considera: quot capita, tot corporum variæ constitutiones. Ardet hic, æstuat, totus ignis est. Phlegmaticus ille contra est, ac vix ægre movetur. Plures hunc inter & illum facilè distingui possunt gradus, quos animadvertit Hippocrates, ac corrigi & temperari observavit à diætâ, à laboribus, à variis anni temporibus, locorum sitibus. Quod recentiores solidorum elaterio, motui; fibræ tensitati; id veteres calori innato; Hippocrates igni: quod hi solidorum, fibræ laxitati, &, si ita loqui fas est, aqueitati: id alii humori nativo; Hippocrates aquæ; mutatis tantùm nominibus, re parum discordes, tribuebant. Duo igitur præcipua distinguuntur temperamenta, inter quæ plurimæ intercedunt differentiæ. Eas temperamentorum differentias sentiebat Hippocrates ope illius, quâ se (*a*) primum ac solum pollere jactabat, corporis αἰσθήσεως, inde præsentem sanitatem æquâ lance ponderabat, minitantem morbum præ-

---

πρήσσουσι, δοκέουσιν εἰδέναι, καὶ θ᾽ ἃ μὲν ὁρῶσιν οὐ γινώσκουσιν, ἀλλ᾽ ὅμως αὐτοῖσι πάντα γίνεται δι᾽ ἀνάγκην θείην, καὶ ἃ βούλονται καὶ μὴ βούλονται, φοιτεόντων δ᾽ ἐκείνων ὧδε, καὶ τῶνδε κεῖσε, συμμισγομένων τε πρὸς ἄλληλα, τὴν πεπρωμένην μοίρην ἕκαστον ἐκπληροῖ καὶ ἐπὶ τὸ μέζον καὶ ἐπὶ τὸ μεῖον. *diæta I. VI.*

(*f*) καὶ γὰρ μάλιστα ἡ θεῶν εἴδησις ἐν νόῳ τῷ ἰητροῦ ἐμπλέκεται. *de dec. orn. VI.*

(*a*) Τοῖσι μὲν ἄλλοισι μέχρι τοῦτου ἐπικεχείρηται ζητηθῆναι. εἴρηται δὲ οὐδὲ ταῦτα. ἐμοὶ δὲ ταῦτα ἐξεύρηται, πρὸ τοῦ κάμνειν τὸν ἄνθρωπον ἀπὸ τῆς ὑπερβολῆς, ἐφ᾽ ὁκότερον ἂν γένηται, προδιάγνωσις. *de diæta I. III.*

videbat. Quid verò obſtat quin ea corporis αἴσθησις nil aliud ſit quàm dictarum arteriarum perpenſum velocitatis æquilibrium, ſingularum deindè qualitas ac tactus quidam ſpecificus. Nec per eam ſola tantummodò tempemcnta, ſed, vix credibile, ipſas etiam indoles, tantus vir! diſcernebat. Indoles hic accipitur pro majori vel minori animi affectuum vehementiâ: at cave ne cum ipſis affectibus, cum variis ipſorum generibus confundas; nam amore ſuo ſingulæ feruntur, quòcumque mentes feruntur: à pluribus quidem poſſunt interdùm diſtrahi, ſed unus ſemper cæteris præſſe ſolet. Alias ignobiliora ac fugacia juvant: hæc ſcilicet inexplendâ voluptatum libidine, illa triſti nummorum aviditate; hæc creſcenti in dies vaſtæ ſcientiæ ſtudio, illa ambitioſâ honorum, benevolentiæ, exiſtimationis cupiditate depaſcitur: aliæ, veras ſe eſſe ac genuinas ſupremi numinis effigies bene conſciæ, altiora ac permanſura petunt: ſolas & opimas arbitrantur delicias omnem virtutum copiam; propoſitique tenaces, perituras alioquin & ſic melius ſitas, in ſinum egentium, infirmorum, miſerorum, pecunias, curas, vitam gaudent impendere. Hi ſunt varii mentium amores, à quibus inclinantur, imò interdùm mutantur aut ſaltem corriguntur, depravantur indoles, ac varii mores informantur. Hos amores præit, hos ſequitur, hos comitatur cogitatio. Cogitare, amare, ea ſunt propria mentis munera. Ab iis homo, ſua ſi bona noverit, iiſque rectè utatur, divinæ conſors naturæ dignitatem longè brutis præcellentem mutuatur. Eæ autem facultates à corporis facultatibus omninò diſtinguuntur; imò cùm iis nihil commune habent; ac faciliùs imbellis generoſum columba leonem parturiet, quàm motus vel citiſſimus, tantillam eliciet cogitationem: nec pariter cogitatio per ſe ſola pariet unquam motum vel leviſſimum. At quamdiù animus corpori nexu prorsùs ignoto conſociatur, inter alterutrum adeò intimum eſt commercium, ut, ſi vividè afficiatur animus, eodem quaſi ictu corpus concutiatur, ac viciſſim, pro corporis temperaturâ, animus faciliùs difficiliùs commoveatur. Diverſa animi pathemata, quæ ſunt variæ amoris & odii formæ, tot & tantas agunt in corpus humanum tragædias, ut totam fere medicinam circumſcribant, ac tutiùs quam omni medicamentorum ſuppellectile, pleraſque curaret corporis affectiones medicus ille, qui æſtuantes cupiditatum fluctus arte divinâ ſciret, ſi fieri poſſit, compeſcere. Longum eſſet & intempeſtivum ſingulos cupiditatum in corpus effectus deſcribere; utinam mens bene ſana tot à ſe, tot à corpore ſupplicia depelleret! neque ei poteſtas denegatur, ſed pro corporis temperamento, nunc validior, nunc debilior; haud etenim minus, imò majus eſt, infelici fœdatæ originis vitio corporis in animum, quam animi in corpus imperium. Undè vividiùs hic objecta ſagaci ingenii acie percipit, vivi-

diis afficitur, præceps in iram, aut zelum, in audaciam, in lasciviam, cæteraque id genus vehementiora animi studia, dum ille lentiùs percipit, quâdam stoliditate quasi plumbeus, ac pronus in segnitiem, ignaviam, inertiam, mollitiem, fœmineaque alia pathemata? Ad id non parùm confert diversa corporis à primævâ constitutione temperies. Hanc temperiem unico arteriæ radialis pulsu dignoscere docuit (*a*) Hoffmannus & alii; indè possent etiam indolem quodammodo conjicere, sed cùm plurima mutare possint indolem jam à corpore dispositam, sæpe stant ex adverso temperamentum & indoles. Sic labore, studio, exercitatione animus statum assequitur, quo objecta alacriter potest percipere, facilè ab iis affici, dum temperamentum, ex se phlegmaticum, idem remanet. Quàm multi hujus naturæ homines zelum, iras, & alia id generis quasi ignea pathemata intùs in pectore fovent; quæ statim extinguere nesciunt, ob indolem additis stimulis vehementem, & foras erumpere, ob tardum corporis temperamentum, minimè possunt! Nec desunt qui temperamento alacriori prædit, mollitie, fœmineoque victu indolem sinunt quodammodo hebetari. In utroque hoc casu Medicus, si unicam interrogaret arteriam, falleretur. Minimè verò errabit, si arteriam simul & dictam arteriolam comparet attentus; nam mutatâ indole mutatur sanguinis velocitas, eâdem remanente crasi; rariùs aut frequentiùs micant arteriolæ quam arteriæ.

V.

HUIC nostræ thesi non obstant leges mechanicæ & œconomiæ animalis. Nam ad corporis optimè temperatum ac perfectum omnino, si unquam reperiri possit, habitum, requiritur media quædam velocitas, medius sanguinis status (*a*), cujus principia nec fixiora torpeant, nec rapidiùs exaltata ferantur. Tunc (*b*) *justo æquilibrio natura naturæ propriam circulationem promovebit, optima aderit & spiritûs, & caloris & elaborationis humorum harmonia.* Eodem momento turgebunt, eodem corruent arteriæ majores ac desinentes arteriolæ. Haud ita pariter, si sanguinis exigua cùm jam existat velocitas, densitas augeatur: tum difficiliùs extremas arteriolas permeabit quàm majores arterias, lentior erit istorum veluti rivulorum, quàm totiùs fluenti motus, imminutâ scilicet vi projectivâ: si vero sanguis, & vivide impellatur, & subtilior fluat; per extremas arte-

(*a*) Hoffm. to. 1. ch. 6.

(*a*) Halles, Statiq. des animaux, 13 Expér. *vers. fin.*

(*b*) Η τυ ἀνθρώπυ εὐεξίη, φύσις τὶς ἐστὶ φύσει περιπεποιημένη, κίνησιν ἐκ ἀλλοτρίην, ἀλλὰ λίην τὲ εὐαρμοστεῦσα πνεύματί τε καὶ θερμασίῃ, καὶ χυμῶν κατεργασίῃ. *præcept. IX.*

riolas, quâ data porta ad cutis superficiem, citiùs ruet, vi eâ tunc præpollente. Si alia sit velocitatis ad densitatem ratio, varia etiam erit arteriæ utriusque pulsationum differentiæ proportio. Neque absurdum videri debet ab eâdem vi impellente velocitates promoveri diversi generis; nam comprobavêre mechanici non ex solâ vi impellente, sed ex ipso etiam vasorum situ, dispositione, altitudine, ex variis resistentiis desumendas esse velocitates. Neque etiam nos moveret quorumdam reclamatio, qui eam in tactu astutiam ideò negant, quia nunquam experti sunt: neminem latet quantam ex attentâ diligentiâ sensus ille perfectionem assequatur. Cæci quidam tactu colores ipsos distinxere. Quod ad arteriarum pulsus, nos priùs admoniti, nostrâque deinde, circa eorum diversitatem experientiâ freti concludimus:

Ergò ex vario variarum arteriarum motu, variæ dignosci possunt hominum διαθέσεις.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Ludovicus - Henricus BOURDELIN.	*M. Henricus RAIMOND, Regis exercituum in Insula Corsica Medicus.*	*M. Gaspardus COCHON DUPUY, Regii ordinis Eques Regis Consiliarius & in arce Maritimâ Rupifortensi Anatomes & Chirurgiæ Professor Regius.*
M. Ludovicus-Alexander CEZAN.	*M. Carolus - Nicolaus DESLON.*	*M. Jacobus - Albertus HAZON.*
M. Joannes - Baptista LANGLOIS, Rei Herbariæ Professor.	*M. Antonius - Joannes-Baptista - Maclovius GUENET.*	*M. Claudius - Carolus DEJEAN.*

Proponebat Parisiis CAROLUS-JACOBUS SAILLANT, Parisinus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus, Theseos Auctor, A. R. S. H. 1770. A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Univers. & Facul. Med. Typographi, 1770.